

quoties intueor grata mente Tua memoria succurrit, qui me ea beasti.

*Cleome gigantea* etiamnum crescit priori anno enata, nec dum flores indicat prodituros, altera egregia planta Tua haec est in Horto nostro, quae toties mihi Tuum in me favorem in memoriam revocat.

Accepisti sine dubio centuriam primam Catalogi Tidströmerii ad Te mittendorum lapidum, quam in ultimis misi. an Tibi tales lapides arrideant, non scripsisti?

Quidquid agis caveas ne pereat in Europaeis hortis Loasa, quae forte unice apud Te prostat, nec forte umquam e Peru repetenda.

*Fumaria nobilis* speciosissima est planta sibirica, cujus semina hac aestate ante triduum lecta sunt, hic mittitur. Odor florum *Primulae veris*. Corollae faux cruce nigra.

*Saxifraga nivalis* in Lapponia lecta includitur, in proximis mihi dicas oro, quid quaesivisti de *Oederi figuris*; habeo omnes.

Si aliquando vacaret optarem catalogum plantarum a Te descriptarum in *Observationibus*, una cum pagina, tabula, figura et synonymis in novis plantis, ut possem eas inserere meis *Speciebus*, cum praeter primum fasciculum, reliquos non vidi in hac patria.

---